



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

358. Feria 2. Dominica 3. Adventûs. De Sanctitate animæ D. Jesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

640 *Dominica 3. Adventus,*

tus penetrat, omnia prospiciens, considerans, omnem habens virtutem, quia Dominus virtutum est. *Sanctus*, quia est origo omnis recti. *Securus* quia sine solitudine. *Stabilis*, quia facit in proposito firmos. *Suavis*, cujus etiam jugum suave est. *Subtilis*, quia Spiritus est. *Vnicus*, quia nihil aliud est quam quod habet. Gratulabor D. Iesu has divitias Spiritus S.

Conf. 3. Eundem Spiritum per S. Petrum Damianum me exhortantem: Sermo 21. *Querat ergo anima hunc Spiritum quo vegetante vivat, quo illustrante videat, quo docente sapiat, quo duce inoffenso amoris cursu ad patriam tendat.* Disquiram, utrum non in me qualitates sint prorsus contrariæ? Et cum SS. Eucharistia sit *Cibus Sapientia*, ut ait D. Cyprianus juxta illud ad Cæcil: *Qui est insipiens, declinet ad me.* Petam in communione de redundantia qualitatum Spiritus S. fieri particeps, humiliando me cum S. Joanne Bapt: dicente: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiæ calceamenti.* Quantò minus, ut sumam Te!

MEDITATIO CCCLVIII.

Feria 2. Domin. 3. Adventus.

De Sanctitate anime D. IESU.

Aspiciam D. IESU animam à Patre æterno canonizatam, ei que propinquissimam, quia de se ipse dicit: Ioan. 10. *Quem Pater sanctificavit.* Petam ejus fieri particeps, *Conf.*

Feria 2. Domin. 3. Advent. 641

Conf. 1. Ad Sanctitatem tria requiri. 1. Est privatio omnis culpæ. 2. Aptitudo ad merendum, 2. esse gratum Deo, diligique à Deo ad consequenda bona supernaturalia. Atqui anima Christi unita Verbo ei fuit gratissima, factaque est divina: Fuit igitur Sancta Sanctitate maximâ, quia debetur ei omnis perfectio, magna autem est perfectio habere ab initio omnem gratiam. Fuit Sancta Sanctitate accidentali, habituali, humana, quantum capax erat, juxta potentiam Dei ordinariam; fuit denique Sancta, quia debuit nos sanctificare, esseque caput nostrum & exemplar, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: Christus enim quâ caput nostrum Redemptor, Sanctificator, Sacerdos, Rex, Legislator & Doctor est.

Conf. 2. Quomodo habuerit anima Christi omnes virtutes in actu, quia hoc perfacilius quam in habitu; Omnem gratiam sine mensurâ, ineffabilem: Dona Spiritûs Sancti, quæ a virtutibus sunt distincta: quia sunt perfectiones particulares Spiritûs S. & perfectiones simpliciter, nec includunt imperfectionem repugnantem beatitati vel unioni divinæ. Habuit denique omnes fructus Spiritûs S. qui in anima Domini Iesu fuerunt perfectissimi.

Conf. 3. Ad imitationem Sanctitatis animæ D. Iesu desiderabo & petam 1. animam meâ

642 *Feria 3. Dominic. 3. Adventus,*
ex gratia ejus abundantem gratiam accipere,
& divinę ejus gratiæ societatis participatione
vestiri. 2. Mundari memoriam ab omni im-
munditia malarum cogitationum, à pertur-
batione similitudinum inanium, ab omni
otiositate: Et repleti speciebus sanctarum
rerum, & purissimis cogitationibus. 3. Intel-
lectum purgari, omni errore, ignorantia, car-
itate, & lumine fidei ac Sapientiã perfundi
ad Deum & me cognoscendum. 4. Vacuari
voluntatem ab omni sinistra intentione, ad-
hæsione ad creaturas, à pravo amore: Impleri
contrarijs. 5. Offeram Deo has animæ vires,
ut illi perpetuò vacent, semper illi adhære-
ant, in illis conquiescat, meque illi in templū
consecrabo.

MEDITATIO CCCLIX.

Feria 3. Domin. 3. Adventus.

De plenitudine scientiæ D. IESU.

Aspiciam D. Iesum plenum omni scientia
infusã, beatã que visionis, quia quod nos
expectamus in consummatione, illi datum
est in sua conceptione, ait Richardus lib. 2. c.
23. de Christo. Petam partem aliquam & so-
cietatem ejus.

Conf. 1. Cùm ad supernaturales actiones
opus sit cognitione, unde amor Dei excitetur,
actionesque meritorie consequantur, ideo
Anima